

Johann Christoph Boltz Andreas Benjamin Hempel

Disputatio Iuridica De Anatocismo

Regiomonti: Praelo Reusneriano, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769806341>

Druck Freier  Zugang





V. N. — 2 (100.)

1. Mollenber de duobus testamentis simul validis.
2. Caroc de investigando definiendoque statu causae forensis.
3. P. Müller de libris officialium, autt. vng. str.
4. Stanting de curatore ad litem.
5. Stryci de juramento purgatorio in causis civilibus.
6. Stryci de domicilii mutatione.
7. Radov. de subfeudis.
8. Bünsow de jure deactionis et emigrationis.
9. Stryci de matrimonio ex ratione status.
10. Beckmann de libris aetatis.
11. Bürsfeld de tituli invalidi convalidatione.
12. von Aowelbe. de praerogationibus.
13. Both de anatopis rno.
14. Charivius de dolo.
15. Charivius. de culpa.
16. Willebrandt. de senatusconsulto macedoniano.
17. Ranger de masculorum conditionibus melioribus in jure.
18. Rahne de jure protinereos.
19. Ranger de concurren actionum.
20. Ranger de eo quod iustum est circa consilium.
21. Pauli de immunitate et foro philosophorum.
22. Radov. de furtis.
23. Büttner de torturis et tormentis.
24. Krafft de concursu iudicii civilis et criminalis in causis ultimi supplicii
25. Meyer de iudicio in crimine magiae quoad torturam reprobatis et approbatis.
- 26²-2. Wegner de verborum significatione disput. 1-1x.
27. Cleemann de reciproca cohaerendum substitutione
28. Eichrod de vi rei iudicatae.
29. Wincoop de revocanda divisione hereditaria.
30. Reinhardt. de successione fidei.
31. Banfa de usuris ultra alterum tantum.
32. Schroeter de conuoto vel in conuoto ex alterius persona accidente, quod ex sua non habuisset.
33. Schroeter de reformatione iuris civilis circa causas matrimoniales a Romanis pontificis per ius canonicum perverse tentata.
34. Streit de actione quae ex mala munieris administratione competit.

35. Gribner de fidejussore mulieris apud Saxonas sine curatore contrahentis.
36. Beckmann de patria potestate.
37. M. Graf de jure tutorum.
38. Klünger de dote.
39. Werner de jure emphyteutico.
40. Streit de repudio et divortio.
41. G. Engelbrecht de successione ab intestato et honorum possessione.
42. J. L. D. Böhm de filio vasalli successore in feudum.
43. de Khevenhüller ab Aichelberg de eligendo Romanorum rege.
- 43². de Bellmont de academia Erfurtana.
44. Spoenla de foro ac privilegiis practiciantibus in camera imperiali.
45. Kestner de jure humaniore Codicis.
46. Schroeter de relaxatione juramentorum.
47. Schroeter de probatione per testes et praesumptiones itemque juramentis
to judiciali et necessario in processu executivo locum habente.
48. Brückner de favore ultimarum voluntatum.
49. Schroeter de principum rescriptis eorumque usu moderno.
50. Sahne de jure numeri septenarii Bon. Vuff sur subaudus Zaff.
51. Wolpmann de eo quod justum est circa contractus noviter introductos.
52. Scherbaum de pariete communis ejusdemque jure.
53. Schmidt de denunciatione e suggestu.
54. Schulz de eo quod justum est circa parochianos.
55. Ludovici de eo quod justum est circa campanas.
56. Streit de quatuor quartis.
57. Napoo de impensis in rem alienam a b. et m. f. possessore factis.
58. Schott. de uxore desertivae dote sua esse regula quidem, non tamen
semper privanda.
59. Bauer formulam, qua pecunia dotatium serviens vidua mortua
in feudum ad filios reverti jubetur, fideicommissum non inferre.
60. Riccio de conventionione obligationis debitoris ad carcerem in omni
ra debiti.

I. N. J.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
ANATOCISMO,

Quam
J U S S U
MAGNIFICI DOMINI RECTORIS
ET AMPLISSIMI SENATUS
ACADEMICI
C O N S E N S U
PRO LOCO ORDINARIO
PROFESSIONIS SECUNDARIÆ
IN JURE

obtinendo

Publicæ disquisitioni submittit

JOHANNES CHRISTO-
PHORUS *Bolz/*

J. U. D.

RESPONDENTE

ANDREA BENJAMIN HEMPELIO,

Siles.

In Auditorio Majori

ANNO ÆRÆ cō Isc LXXXI.

XIV. Kalend. Octob.

Horis ante & pomeridianis.

REGIOMONTI,
PRÆLO REUSNERIANO.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO
WILHELMO,
MARCHIONI BRANDENBURGICO
S. R. I. ARCHICAMERARIO
ET PRINCIPI
ELECTORI
PRUSSIÆ, MAGDEBURGI, JULIÆ,
CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM,
CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA
ITEM CROSNÆ CARNOVIÆq;
DUCI,
BURGGRABIO NORINBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ,
CAMINI, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ,
RAVENSTEINII NEC NON TERRARUM
LAUENBURG ET BUTO.
&c. &c. &c.
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO
PRINCIPI OPTIMO

Disputationem hanc in signum animi, ad be-
neficia unde fluunt, resurgentis, gratâ
mente humillimè
offert

P R Æ S E S,



I.
Um nulla Respub. ex omni parte sit *avārentis*
Arist. Polit. l. 6. c. 6. initio necessitas eo rem de-
duxit, ut unusquisqve prout tempora & res va-
riæ exigebant utilibus inutilia permutaret, sed
cum plenum commerciorum jus permutationi-
bus haud commodè exerceri potuerit, electa est
materia, cujus publica & perpetua æstimatio
difficultatibus permutationū æqualitate quan-

titatis subveniret, Dominiumqve non tam ex substantia quam quanti-
tate præberet ita docente *JCio Paulo L. 1. pr. π. d. Contrah. Empt.* Quò
cum convenit Philosophus *d. l.* dicens: *Alii illorum communiter ha-
bebant omnia, alii separatim multa rursus & alia, quorum secun-
dum indigentiam necesse erat permutationem facere. Quemadmo-
dum adhuc faciunt Barbarorum nationes multe, alia prò aliis dan-
tes, recipientesq; utilia enim prò utilibus tradunt. Ultra vero nihil:
seu vinum prò tritico & cæteris talibus. Hujusmodi ergo permutatio
neq; præter naturam est, neq; ad amplificationem patrimonii perti-
net, cum sit in supplementum indigentia secundum naturam. Ex hac
tamen illa processit secundum rationem. Nam cum à remotioribus
quereretur auxilium importando illa quibus indigebant, & expor-
tando illa quibus abundabant, necessariò nummi introductus est u-
sus. Sicut usus nummi necessarius est ad necessitatem hominum &
commerciorum, ita propter similem, licet non tantam necessitatem
usura inventa & permisa; Plures enim qui negotiantur æris alieni
sunt indigi, nec omnibus nec semper expedit Societatem contrahe-
re, solà operà industriavè collatâ, nec inveniuntur facilè qui pecu-
niam gratis mutuo dant: nec his qui de negotiando & lucrando
certant, mutuum gratuitum debetur. Plurimè us etiam non negotian-
tibus æquè frequenter usu evenit, ut sint qui ex prægnantibus & ur-
gentibus causis temporali usu æris alieni indigeant: nec tamen sunt
de his quibus gratis mutuandum est, vel si sint, hoc mutuo dantem
latet, & si eum non fagiat, is tamen sine usuris pecuniam mutuo da-
re aut non possit aut non velit. Inde ex *indigentia commercia*, ex
commerciis *nummorum* & *usurarum* usum provenisse constat. *Mo-
dus* tamen præfinitendus & insatiabiles Creditores usurarum usuras
petentes easqve in sortem redigentes à Legislatoribus compescendi
erant,*

erant, quorum cupidini si annueretur, nunquam foret finis usurarum nec miseria debitorum, quorum tam de Veteri Jure quam moribus Gentium durissima semper fuit conditio. Ex *L. XII. Tabb.* poterant Debitorum corpora non tantum vinciri ac ligari vel neci, sed membra quoque & artus dissecari & capite plecti *A. Gell. N. A. L. 20. c. 1.* Inter Judæos Servituti Creditorum mancipatos fuisse Debitores ex sacrâ paginâ liquet, ut ex *Salomone* dicente, *Dives sapiens pauperibus imperat, & qui accipit sanus servus est feneratoris Proverb. c. 22. v. 7.* Exemplum quoque viduæ testatur dicentis: *Creditor venit ut tollat & vendat filios meos 4. Reg. 4.* addi potest *D. Matth. c. 18.* In *Hispania* Debitores qui solvendo non sunt, tenentur Lege Regni Creditoribus arbitrio judicis, donec illis satisfactum sit, servire *Didac. Covarr. lib. 2. var. resol. c. 1. n. 5.* Apud *Saxones* receptum, Debitorem non solvendo existentem condemnari ex arbitrio Creditoris vel ad carcerem vel ad operas & servitia *R. L. 3. Art. 39. Weichbild art. 27. circ. fin. Chilian. König in Process. Jur. Sax. p. 4. c. 6. Andr. Gail. L. 2. d. PP. c. 2. n. 6. Frider. Husan. in tr. d. homin. prop. quest. pr. 6. n. 19. Herm. Stamm: lib. 1. d. Servit. person. tit. 4. c. 4. n. 5. Berlich. p. 2. concl. pract. 28. n. 14.* Quamquam verò immanitas *L. XII. Tabb. à Sex. Ceciliô* excusetur, quia Romani omnibus Virtutum generibus exercendis colendisque à parvâ origine ad tantæ amplitudinis instar emicuerunt & omnium, maximè & præcipuè fidem coluere sanctamque habuere tam privatim quam publicè, quam majores non modò in officiorum vicibus sed in negotiorum Contractibus sanxerunt, maximeque in commercio, adimi enim putaverunt subsidium hoc inopiæ temporariæ, quò communis omnium vita indiget, si perfidia debitorum sine gravi pœna eluderet; Tamen deinceps *S. P. Q. R.* æquisimum & rectæ rationi conveniens esse censuit, duram istam legem antiquare & constituere, nè in posterum necerentur & mactarentur debitores *Liv. Lib. 8.* Huic abrogationi faverunt *In. pp. Diocletianus & Maximus* in *L. 12. C. d. O. & A. l. 6. C. Qu. res pign. da: poss.* à veteri quoque rigore *Juris Saxon:* recessisse Constitutionem Electoris Augusti putant *Berlich. d. concl. 28. n. 16. Hering. d. Fidej. c. 6. Ex Constitutionibus Imp. nihilominus mansit jus salvum Creditoribus mancipandi carceribus Debitores l. 2. C. d. Exact. Trib. Lib. 10.* Inde satis durum videbatur ob sortem & usuras Debitores carceribus macerari, durissimum vero & iniquissimum eos ob usuras usurarum vel in sortem redactarum his & aliis molestiis obnoxios esse, ideo Legislatores fræno juris singulari constringunt
Usura.

Usurarios, nè tales usuras exigere liceat *l. ult. C. d. Usur. l. 26. si non sortem in §. 1. v. d. Cond. Indeb.* ità ut nè quidem pactio expressa de usuris in sortem computandis quam vulgò *Anatocismum* appellant valeat.

II. *Anatocismum*, ab *ἀνά* & *τοκίζω* dictum, æquitate haud destitui facile, & quidem non sine probabili ratione quis dubitare posset, quia usuræ in sortem imputatæ sunt instar pecuniæ brevi quadam manu mutuo datæ *l. rogasti u. π. d. R. C.* Quid enim impedimento fuisset Creditori, usuras exigere à Debitore & subsecutâ solutione rursus eam ceu sortem aliquam eidem debitori mutuo dare? Cum hoc utique ità facere potuisset, cur non ergo pacto etiam & conventionem ante solutionem realem id efficere? Nihilominus Imperator Justinianus hoc pactum prohibitum esse voluit, de quò hæc sanxit: *Apertissimâ inquirens Lege definimus, nullo modò licere cuiquam usuras præteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, & earum iterum usuras stipulari; Sed etsi hoc fuerit subsecutum, usuras manere, & nullum usurarum aliarum incrementum sentire: sorti autem antiquæ tantummodò incrementum usurarum accedere l. ut nullo modo 28. C. d. Usur:* ut adeò omnis anatocismus generaliter sumptus seu omnis usurarum ex usuris debitò tempore non solutis vel in sortem redactis exactio *d. l. prohibeatur.* De ratione *hujus Legis* solliciti qui sunt, in eâ plerumq̃ve acquiescunt, quod Accessionis non datur accessio, *l. 1. D. d. Usu & Usufr. leg.* nec accidens accidentis, quas rationes nostras non facimus; Alii verò in odio usurarum subsistunt, quia usuræ omni Juri repugnant, quæ ratio generaliter sine ullâ restrictione accepta manifestè falsa est, neq̃ve videntur argumenta quæ in alteram adferuntur partem talia esse, ut assensum extorqueant.

III. *Argumenta* eorum hæc ferè sunt (1.) *Locis Sacræ Scripturæ* non paucis omnis usura prohibita est *Exod. 22. v. 25. Levit. 25. v. 36. Deuteron. 23. v. 20. Ezech. 18. v. 17. Prov. 28. v. 8. Psal. 15. v. 5. Luc. 6. v. 35.* tam clarè & disertè, ut dicat *Bodin. 5. d. Rep. 2. n. 528.* Neminem id in dubium revocare debere, nisi apertè inanibus argutiis oracula divina se fallere posse putet. Prolixè *Basiliius M. homilia alterâ* eaq̃ve integrè in *Psal. 14.* usuras & fæneratores insectatur. *Lactant. lib. 6. d. ver. cult. c. 18.* in hoc genere officii suo debet esse contentus, plus autem accipere quàm dederit injustum est. *Ambros. in lib. de Tobia. c. 5. tom. 4.* frequenter placidum stat ventis mare, semper fænoris unda jactatur, mergit naufragos, vestitos exuit. *Augustin. epistol. 54. tom. 2.* an crudelior est, qui subtrahit aliquid vel eripit, quam qui

pauperem fanore trucidat. *Hieronym. in Ezech. c. 18. lib. 6. tom. 5.* scriptura divina omni rei aufert abundantiam, ut plus non recipias quam dedisti *Chrysostom. in Matth. c. 1. homil. 5. tom. 2.* nihil usuraturpius, nihilq; crudelius, siquidem fanerator ex alieno incommodum rem suam auget. Quò de argumentò non inconueniens occurrit simile. Similis est pecunia morsui aspidis: percussus enim ab aspide quasi delectatus vadit in somnum, & per svavitatem soporis moritur, quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit: Sic qui sub usurà accipit sub tempore quasi beneficium sentit, sed usura per omnes suas facultates decurrit, & totum decurrit in debitum. Deniq; Concilium *Elibertinum ean. 20. conc.* Si quis etiam Laicus accepisse probatur usuras, & promiserit correptus se ulterius non exacturum placet ei veniam tribui: si vero in eà iniquitate duraverit, sciat ab Ecclesià se esse projiciendum. (2.) Textibus Juris Canonici *c. 14. q. 1. 3. 4. 5. & 6. c. 10. consultuit d. Usur. c. 2. quanquam d. Usuris in VI. c. non licet & seq. dist. 46.* nec de alià causa Jure Canonico Titulum de Usuris proximè sequitur Titulus de furtis, quàm quia Usurarii fures sunt *c. Si quis usuram 10. caus. 14. q. 4.* Ut hac ratione motus *Antonius Matthæus Disp. de Feneratione in bene constitutis Rebus pub. non ferendâ 6. 7.* ita colligat: Si justum est fures suspendi, suspendantur quoq; usurarii. Et hi tanto magis, quod palam non clam furantur. Sunt enim crimina palam commissa graviora, quàm quæ committuntur clam *pr. j. d. Vi bon. rapt.* Qui furantur clam pleriq; omnes ex inopia peccant, itaq; commiseratione digni sunt *l. 2. § cum in eadem 2. d. L. Rhod. d. jact.* Usurariis vero succensendum magis est peccantibus abundantia, qui cum liberales magis esse deberent erga inopes rigidi magis sunt & asperi. (3.) Legibus & Rationibus Juris Civilis quia mutuum est gratuitum *l. rogasti 11. §. 1. π. d. R. C.* quod vero gratuitum est non potest esse mercenarium. Pecunia est res sterilis, iniquum ergò pro illius usu lucrum accipere & alterius industriam vestigalem reddere. In Contractu usurario venditur id quod non est: usus sortis, qui ab ipsa sorte non potest seorsim aestimari. Nec debet ei res esse quaestiosa cujus non est periculo *l. is qui 13. §. 1. D. Commod.* Pecunia autem in mutuo credita non est periculo Creditoris sed Debitoris *l. incendium 11. C. Si sert. per.* De alieno Nemo sentire debet lucrum *l. idem 3. 10. §. 3. D. Mand.* pecunia autem in mutuo credita est aliena. Justinianus deniq; subscribit quatuor hisce Conciliis *Niceno, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedonensi l. 7. §. 4. C. d. Sum: Trin: N. 131. c. 1.* *Niceno autem*
Con-

Concilio usurae sunt damnatae c. quoniam 8. c. 14. q. 4. (4.) Sententiis prudentium exemplisque gravissimorum incommodorum quae ab usuris promanant. Non enim tantum privatas familias usurae concipiunt sed etiam totas Respub. in seditiones conjiciunt *Liv. lib. 2. Plato 5. d. Legib.*: adeo faeneratores damnantur, ut ei, cui faeneri data sit pecunia, permittatur & sortem & usuras retinere. *Aristot. 4. Eth.*: Faeneratorum & Lenonum quaestum unius & ejusdem turpitudinis esse affirmat. *Plutarch. peculiari libello d. vitando aere alieno faenus & faeneratores insectatur*, & inter alia, lepores *inquit* ferunt simul eodemque tempore & parere & alere & alios concipere faetus: sed verberonum istorum debita pariunt antequam concipiunt: & apud ipsos ex eo quod neque est neque subsistit nascitur faenus. Et rident proinde isti physicos, qui ex eo quod non est existere quicquam posse negant: nam apud ipsos ex eo quod neque est, neque subsistit nascitur faenus. Apud Romanos multis seditionibus causam dedisse faeneratores testis est *Tacitus lib. 6. Ann. sane inquit* Vetus Urbi faenebre malum & seditionum discordiarumque creberima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo XII. Tab. sancitum ne quis unciario faenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletum ageretur: deinde rogatione Tribunitia ad semuncias redacta postremo vetita versura, multisque plebis scitis obviam itum fraudibus quae toties repressae per artes rursus oriebantur *Anton. Matth. d. Disp. & Bachov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 3. 8. 1. lit. D.*

IV. Argumenta vero quae probant usuras nulli repugnare Juri sunt praegnantiora (1.) constat ex *Deut. 23. v. 20. D. T. O. M.* permisisse ab extraneis & gentilibus usuram capere, quod factum non esset, si usura per se & moraliter turpis esset, ea enim quae intrinsece turpia sunt, non permittit Deus etiam ad finem bonum, sed omnino omnique loco tempore & omnibus vetat & fieri prohibet, ideo vero D. T. O. M. permisit Judaeis usuras capere a Gentilibus, quia Judaei ab iisdem mutuum sine usuris non accipiebant, sed usuras solvere cogebantur: merito igitur & ab iisdem usuras exigebant, ut eo jure uterentur in Gentiles quod Gentiles adversus Judaeos, secundum aequitatem naturalem quae vult ut jure quod quis in alium statuit ipse eodem utatur *Hottom. disp. d. Fen. c. 3.* (2.) Jus Canonicum & Canonistae usuras expresse concedunt, etiam saepe immodicas, veluti ob dotem non solutam a socero, permittunt genero, ut ex re sibi oppignoratam, fructus capiat praeter sortem vel paciscatur certam quantitatem

titatem sibi quotannis dari quoad dissolvatur pro oneribus matrimonio etiam duodecim aureos in 100. idemque ad viduam matrimonio soluto, dote non restituta extendunt *c. salubriter* § *d. Usur. Hostiens.* in *d. c. salubriter* hoc pactum simpliciter valere dicit, tanquam compensativum veri, non minoris, sed majoris vel æqualis interesse lucris cessantis. Ideo *Joannes Valerius* differentias utriusque fori notans de *Usura differentia tertia* ait: Interesse ratione lucris cessantis peti potest in foro exteriori tam de Jure Civili quam Canonico à Creditore mutuante, si sit solitus lucrum facere, hancque sententiam communiter receptam esse *probat* autoritate *glosse* in *cap. conquestus d. Usur. Navar. consil. 7. n. 5. & consil. 17. n. 3. d. Usur. & in Manual. c. 17. n. 21. Ant. Gabr. tom. 2. Commun. opin. p. 171. tit. d. Solut. concl. 10. n. 2. glosf. c. pervenit. verb. in damnum. d. Fidejuss. (3.)* Jure Civili usuras permissas esse probant *t. r. π. & C. d. Usur. & plures Novellæ Constitutiones* de usuris latæ. *Novell. 121. 136. 138.* non tamen in infinitum sed *Justinianus l. 26. C. d. Usur.* pro negotiorum diversorum qualitate & personarum conditione alias *majores* alias *minores* constituit. *Majores* vocat *centesimas* quæ rationem temporis habebant quod æquabant sortem videlicet mensium non quantitatis. Soliti enim erant *Veteres* per singulos menses singulis Calendis usuras exigere & rationes cum debitoribus inire *l. 49. π. d. R. C.* Unde Calendarium vocabant tabulas, ad fœnus exhibendum institutas in quibus mutuantium nomina inscripta erant *l. 46. π. d. V. O.* Centesimam hanc videtur permisisse in trajectitiis Contractibus propter periculum quod suscipit Creditor. Eandem usuram etiam admittit, cum species foenori dantur frumentum triticum hordeum & alii fructus, hæc usura frugum alium modum impositum habebat *Constantino M.* qui secundum *l. r. Codicis Theodosiani de Usuris* ad *Dracilianum* Agentem vices Præfecti Prætorio hæc scripsit verba: *Quicumque fruges (humidas vel arentes) indigentibus mutuas dederint, usura nomine tertiam partem superfluum consequantur. Quod si conventus Creditor, propter commodum usurarum debitum recuperare noluerit, non solum usuris sed etiam Debiti quantitate privandus. Quæ Lex ad solas pertinet fruges nam pro pecunia ultra singulas centesimas Creditor vetatur accipere. Quo spectare videntur verba Hieronymi in Ezech. lib. 6. c. 18. fol. 440. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei cæterarumque specierum usura exigi sive ut appellat sermo divinus abundantia v. g. ut hyc.*

ut hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim hoc est amplius partem mediam. Qui iustissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem & solent argumentari & dicere: Dedi unum modium de meo plus accipiam, qui satis fecit decem modios. Hæc Lex C. Tb. abest à Codice Justin. qui usuris frugum modum centesimæ imposuit l. 26. §. 1. C. d. Usur. Qui modus eidem placuit N. 32. 33. 34. c. 1. unde desumpta est Auth. ad hæc C. d. Usur. quoniam incertum est earum pretium l. 12. §. 23. C. d. t. Fieri enim potest ut tempore adjecto restitutioni minus valeant duodecim modii quam tempore dationis seu mutui contracti, quæ etiam ratione motus Imperator in suis Novellis, cum agricolæ frumentum creditur, permittit centesimam; at cum pecunia ei creditur permittit trientem tantum, servatur nempe vulgaris usurarum modus cum pecunia creditur & redditur l. 16. §. l. 25. d. t. Ant. Perez. prælect. in lib. 4. Cod. Tit. 32. n. 9. 10. u. Christoph. von Hagens tr. d. Usur. l. 3. §. seqq.

V. Antequam argumentis pro contrariâ sententia allatis respondeamus distinguimus inter usuras lucratorias, compensatorias & punitorias; inter usuras mordentes & non mordentes. Usuræ mordentes censentur tam ex parte Debitoris quam Creditoris. Ratione Debitoris mordentes sunt si is sit vel prorsus pauper, qui ostiatim stipera quærit, adq; mendicitatem inevitabili necessitate redactus est: vel indigens & domesticis difficultatibus pressus ita, ut ad tempus pecuniæ indigeat, quæ se & familiam suam à necessitate & difficultate impendente liberet. Ratione Creditoris mordentes sunt si plus iustò accipiat. Non mordentes similiter æstimantur tam ex parte Debitoris quam Creditoris. Respectu Debitoris non mordentes sunt qui à prædictis difficultatibus est immunis, & pecuniam vel negotiationis exercendæ causâ & lucrificandi facultatesvè suas augendi gratiâ mutuo accipit: ex parte vero Creditoris qui ex usuris mediocribus vivit, victum & amicum quærit, & aliundè non habet unde se suosq; sustentare potest.

VI. Jam facilis argumentorum solutio erit, quia ex nullò loco scripturæ probari potest omnem omnino usuram esse prohibitam (1.) Loca N. ac V. T. & textus Jur. Can. allegati prohibent usuram expilatoriam rodentem fratrem & quidem egenum & in calamitate constitutum. Ad (2.) R. Grot. 2. d. I. B. §. P. 12. n. 20. Nil urget quod suapte natura pecunia est sterilis. Nam & domos & res alias natura infœcundas hominum industria fructuosas fecit l. si na-

vis 62. in pr. d. R. V. ubi usura manifestè pensioni & mercedi rei locata comparatur l. item §. 16. π. d. petit. hered. l. usura 121. π. d. V. S. quàm Legem ita non malè explicant ab usu pecuniæ usuram nomen habere sicut à fruendo fructus, at usus rei quasi ejusdem fructus est l. ult. π. d. usur. l. questio 15. π. d. V. S. Quamvis vero aliquod officium & mutuum gratuitum esse debeat non omni tamen debet hoc officium esse gratuitum, egeno, non diviti aliq; inde lucrum aliquod quærenti. Est itaq; ex Contractu ut sit gratuitum vel ad usuras datum. Sed falsum est acceptione usuræ vendi id quod non est, non enim officium mutuo dandi nullum est, nec occasio & facultas subministrata proximo pecuniam nostram in rem suam vendendi flocci pendi debet, nec injustum in partem aliquam compendii & lucri venire Creditorem, quod si hoc pro crimine haberetur non tantum commerciis sed etiam agri cultura malè consuleretur. Nam paterna rura & longe lateq; patentes agros Divites plerumq; bobus exercent suis. Quid interea iis agendum? quærit Theod. I. F. Straswinkel stricturâ ad Censuram Joannis à Felden ad H. Grotii d. l. §. c. quibus agri non suppetunt? Emi vult. Quid si argentum desit? necesse erit mutuo accipi. At si nemo gratis dat, usuræ promittendæ sunt, si vero usuras stipulari crimini datur, dyrior eorum redditur conditio qui usuras promittere volent. Pauciores enim mutuo dabunt, & quanto pauciores tanto graviore usuras capere poterunt. Idem de mercatoribus dici potest, quiescendum erit pauperibus omnibus, imo sepe etiam divitibus, qui etiam non ad omnes occasiones paratam habent pecuniam. Nec est aliqua Consequentia in seq. argumentatione: quia pecunia in mutuo credita non est periculo Creditoris E. non debet ei quæstiosa esse, nec Creditorem, pro usu pecuniæ aliquid stipulari posse, quoniam Debitor pecuniâ in commodum suum uti intelligitur & Creditor pecuniâ quâ interim aliquid lucrari potuisset caret; Et si is qui usuras accipit ad voluptates insumat, ita ut Debitorem usuræ pefumdare ejusq; substantiam evertere possint, nullum tamen est crimen in eò qui mutuo dat & pecuniam facit Debitoris. Neq; sequitur, pecunia credita est Debitoris E. ita est translata in debitorem, ut sunt aliæ res in quibus nihil juris retinemus, sed manet Creditori jus ad rem & Debitor mutuum cum usuris quas promisit in genere magis, quam in specie reddere obstrictus est. l. 2. D. d. R. C. Nec obstat Concilium Nicænum, quod in Clericos stringit censuram, qui paciscuntur usuram turpis lucri causa. Ad (4.) R. Sententias prudentiû & exempla tantum sanus & usuram mordentem improbare Wisfenb. π. Disp. 42. §. 3.

VII. Nos itaq; cum *Carpovio intr. d. Asylo Debit. pos. 30.* acquiescimus in odio *usurarum* sed non simpliciter & absolute omnium sed tantum earum quæ exiguntur de *usuris in sortem redactis* quæ proprie *Anatocismus ἀνατοκισμός* regeneratio renovatio dicuntur quas Cicero *Epist. ad Atticum lib. 5. ep. ult.* posuisse videtur pro fructibus usuræ in *Sortem redactæ*: Sic *Asiani feneratores* etfi *Luculli* tempore quàm maximis poterant fraudibus usuras cumulare, non tamen eos usuras usurarum exegisse *Plutarchus* scribit, sed in sortem duntaxat redegisse. De *Lucullo* enim scribens: *Feneratorum ait avaritiam represit ac iussit, ut qui usuras sorti miscuisset & sorte & usuris privaretur. Unde patet ἀνατοκισμῶν non esse renovare seu regenerare usurarum usuras & accessionis accessionem sed significat usuras in sortem reponere quasiq; ut coalescerent facere, usura non regeneratur sed generatur tantum, sed cum ea summa quæ semel generata est, id est usura rursus in sortem revocatur & reponitur ut secundo generetur, tum vero ἀνατοκισμῶν seu regeneratio rectè dicitur Latine Cicero ad *Attic. l. 6. ep. primâ* hoc ipsum interpretatur: *Confeceram inquit ut solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum. Livius lib. 8. § 10. docet: Multiplici jam sorte exsoluta mergentibus semper sortem usuris fœnore P. R. obrutum & fœneratores publicè multatos esse. Ex Constitutione Theodosii M. Anatocismum seu usurarum in sortem redactionem tocoglyphion in rei judicatæ usuris obtinuisse constat ex *Lun. Codicis Theodosiani de usuris rei judicatæ* cujus verba: *Qui post iudicii finem exceptis duobus mensibus (quibus per Legis solutionem nonnunquam est concessa dilatio) moram afferent solutioni à die patrati iudicii, quo obnoxii redditi sunt, in duplicium centesimarum conveniantur usuras (extrinsecus scil. medietatem Debiti, de quò litigatum est, sicut prius constitutum est inferentes) usq; in id tempus quò debitum solutione diluerint. Quod à Nobis exemplo aquabili ex juris prisca est formulis introductum, ut quia male fidei possessores in fructus duplos conveniuntur aequè male fidei Debitores simile damni periculum persequatur. Sed tamen Creditor ternis interjectis mensibus, post sententiam contestari moram debet adhibita tarditatis ut ei centesimarum duplicium fructus possit acquiri. Cavendum quippe ex diverso est etiam contra illam malitiam Creditorum, nè iudicatis ad solutionem cunctantibus, incipiant spe dupli fœnoris imminere. Quanquam iudicatum, si hanc poenam à se removere festinet contractam pecuniam vel apud Judi-***

us obſignatam locare vel iudicio conveniat offerre, ut periculum duplicium uſurarum incurrere ex eâ die, qua obnoxius eſſe ceperit deſiſtat. Diftinguendum vero hoc quoq; arbitrati ſumus, ut ſi contra-ctus debiti ex ſtipulatione deſcendit, & caſu uſuræ per annorum curricula ſummam capituli impleverint, (ſcilicet ut quantitas ſortis quantitati ſœnoris adequetur) poſt ſententiam uſuræ duplices non utriuſq; debiti currant, ſed capituli quidem duplæ uſurarum vero ſimple. Huic toti Legi penè Juſtinianus derogavit, l. 2. & 3. C. d. Uſur. rei iudic. & Anatociſmum quoq; in re iudicatâ ſuſtulit l. 28. C. d. Uſur. ſtatuitq; ut nullo modo cuiquam permetteretur, uſuras præteriti temporis vel futuri in ſortem redigere earumq; uſuras ſtipulari l. ult. C. eod. & quamvis ſorti uſuræ illicitæ mixtæ ſint tamen infirmantur l. 18. l. 23. βασιλ. Tit. 3. d. Uſur. quod maniſteſtius exprimit Conſtantine Harmenopulus in Promptuario Juris Civilis lib. 3. Tit. 7. dicens: *Uſurarum ſortem duplantium uſura locum non habet.* Sordida namq; nundinatione & turpi avaritiâ hoc lucri genus exerceretur, & non tantum ex ſua pecuniâ ſolum, ſed etiam ex aliena compendium quæreretur ſi uſuram ex uſurâ in ſortem redactâ exigere liceret, quâ tamen uſura expilantur hereditates, ac vaſtitas & Arages intoleranda inducitur familiis l. improbum 20. C. Ex quib. cauſ. irrog. infam. l. placuit 29. D. d. Uſur. l. ut nullo 28. C. eod. l. præſes 27. D. d. Re jud.

VIII, Ex dictis inferre videtur Ott: Philipp. Zepperus in Diſcurſ. Jurid. continente nucleum decem illuſtr. quaſt. Tit. 9. d. Anatociſmo ampliaciones ſeqq. (1.) Nec ſingulis annis debitas uſuras in ſortem computare licebit, ut uſuræ inde exigantur. Nec conventio Creditoris cum Debitore de remittendo certam uſurarum præteriti temporis quantitatem, & reliquam partem ſorti jungendo, novationemq; deſuper faciendo inquam in fraudem l. 28. inita valebit. Si enim ex uſuris uve in totum ſive pro parte per novationem in ſortem redactis, uſuras accipere liceret, debitor rigidam Creditoris exactio-nem evitaturus ad novationem iſtam & transactionem ineundam facillimè moveretur, & ſic prohibitio Anatociſmi eluderetur. Clar. Dominus Sirube Ex: ad π. 27. b. 50. Quod ipſum etiam ad Fidejuſſorem extenditur, ut promittens uſuras uſuræ in ſortem redactæ non teneatur quia exceptio uſurariæ pravitatis perinde à Fidejuſſore ac à principali debitore opponi poteſt l. conſtitutionibus 20. C. d. Uſur. (2.) Nec valebunt uſuræ quæ petuntur ex ſententia rei iudicatæ, tametiſi totius debiti in actionem deducti legalis novatio facta ſit, & propter contu-

ma-

maciam condemnati major causa debiti subesse videatur *l. 3. pr. C. d. Usur. rei judicat.* (3.) Nec usurae ex mora in bona fidei judiciis solventur *l. ult. C. d. Usur. l. 26. C. eod.* (4.) Nec tum quando dos promissa & non soluta, secus in augmento Dotis, quia illud fors est & per se petitur ac debetur nec proprie usura seu lucrum Dotis, sed primum potius aliquod esse videtur. Nec (5.) quando Creditor ob moram Debitoris sui in solvendis usuris pecuniam mutuo accepit & usurarum usuras solvit. Sibi enim imputabit quod usuras usurarum solverit, quas solvere non debuit: nec potest dicere se solvisse nomine Debitoris, cum is nullo modo ad usuras usurarum teneatur. Eadem ratione nec Fidejussor pecuniam sub usuris solito majoribus & illicitis mutuo accipiens & Creditori solvens à Debitore principali pro quo intervenit & solvit, eas repetere, vel in concursu Creditorum illarum respectu prerogativam petere potest, etiamsi necessitate coactus ad evitandam videlicet executionem in avita & alia magna affectionis praedia solverit & quia sortem & non usuras usurae in sortem redactae solvere debuisset. Nec valebunt. (6.) quando in Contractu Societatis versamur & socius socium ob Contractum Societatis convenit. (7.) Idem obtinebit in concursu duorum pluriumve Creditorum quibus eadem res est oppignorata. Hoc casu si secundus Creditor priori, cui primum ea res oppignorata & proinde prerogativa competit, sortem & usuras solvat, usuras illicitas à Debitore petere & earum nomine pignus quod ipsi aliàs nedum pro suo proprio: sed etiam Creditoris alterius, cui solvit, credito obstrictum est, retinere nequit, quia suum potius ut ipse videt: an pignore esset prior, quam alterius negotium gessit. Nec locum habebunt (7.) in Hebraeis seu Judaeis, quae enim haec iniquitas Judaeis permittere impune aliquod lucrum capere quod Christianis interdictum est?

IX. Sed quid si *Renunciatio* Debitoris de non utenda *Exceptione Anatocismi* sive *simplex* sive *juramento confirmata* accesserit quae *an usura usura in sortem redacta fiat licita?* *Simplex Renunciatio* licita non est propter *d. l. 28. C. d. Usur.* quae negativè verbis prohibentibus & excludentibus disponit, nullo modo hoc licere stipulari. Verum de *Renunciatione juramento confirmata* dubitari potest, quia juramentum actum firmum & irrevocabilem efficit, nè (si consensus in talibus non videatur obligatorius secundum sanctiones civiles) tali praetextu viam perjurii aperire contingat, & neglecta in dispendium aeternae Salutis vergant *c. cum contingat X. d. Jurej.* Nos tamen negativam approbamus quia *Renunciationes* sequuntur naturam actus

cui adherent l. f. π. *Qu. satisd. cog. c. quemadmodum* §. d. *Jurej. Tiraquell. in prefat. l. Si unquam C. d. Revoc. Don. & juramentum*, quod est contra bonos mores non est obligatorium nec firmat rem de qua agitur l. non dubium C. d. *Legib.* quæ contra bonos mores sunt, ea sunt jure impossibilia l. filius π. d. *Condit. inst.* sed impossibilium nulla est obligatio c. *Nemo d. R. I. in 6. l. impossibilium π. eod.* quæ merito ad hoc juramentum applicari possunt quod contra Leges hujusmodi fortis Contractu illicito nititur sicut manifestè id exprimit *D. Ambrosius lib. de Tobia c. 12.* dicens: *Τόυς Γραçi appellaverunt usuris, eò quod dolores partus animæ debitores excitare videantur. Veniunt Kalènda, parit fors centesimã; Veniunt menses singuli generantur usura. Malorum parentum mala proles. Hæc est generatio usurarum. Crevit centesima: petitur nec solvitur applicatur ad fortem, sit malè, dictum propheticum dolus in dolo usura improbi seminis futura deterior, itaq; non jam centesima incepit esse sed summa, hoc est non feneratoris centesima sed fenus centesima.* *D. Luther: in homil. mag. d. Usuris Anno 1519. edita: Tom. 1. Germ. ait tales usurarios esse quasi incarnatos Diabolos, & vocat eosdem fures omnium maximos ac præ omnibus aliis patibulo dignos.* *Beza in Epigram: Usurarios hujusmodi improbos ita describit: In mutuando de suo nunquam tuum sed usq; & usq; de tuo suum facit: cui sterile quod natura dedit, parit: qui dando spoliat, erogando colligit: nunquam serens, qui metere nunquam desinit: quia cocta cruda devorat nunquam satur: cui sive sterile sive fertile sit solum, fert Luna census menstruos, Sol annuos &c.* Cum vero tali usurario super re illicitâ & Legibus prohibita datum sit, nequaquam illud servandum esse constat *arg. c. 1. §. d. Jurej. l. 112. §. ult. π. d. Leg. 1.* quia jure expressè sancitum est juramentum vinculum iniquitatis esse non debere c. *inter cetera 22. q. 3. c. quanto d. Jurej.*

X. Nemo se potest prohibitioni *Anatocismi* subtrahere ob verba d. l. 28. *Non modo licere cuiquam &c.* & propterea neque mercatores qui sibi persuasum habent de apicibus juris in eorum causis non disputandum sed omnia ex æquo & bono decideri esse l. 29. §. *quædam. Mandat.* exempti sunt, quia apicibus juris præcisè equidè non est in hærendum hoc est in illis articulis, qui procesum fori concernunt, & sola juris subtilitate nituntur, nequaquam vero facultas hinc extendenda agendi aliquid contra bonos mores quibus *Anatocismus* adversatur *Carpz. d. tr. d. Asylo Debitorum ad incitas redactorum p. 30. in fin.* In specie tamen in *cambis* admittitur ut interesse convertatur

in

in sortem quia ad hoc ut interesse in sortem convertatur requiruntur tria. Primo oportet Creditorem actu ipso & non potentia pati interesse. Secundo oportet quantitatem Interesse, esse certam. Tertio oportet commercium, ex quo procedit hoc Interesse, ejus qualitatis esse, ut semper quando dissolveretur prompta renovandi occasione haberet. His concurrentibus ait *Sigismundus Scaccia tract. de Commer. & Camb. §. 6. glosf. 1. Apagamenti di siera prosimo di apparitione pagate per questa prima di cambio a voi stesso. &c. Ponete a mio conto n. 82.* non diceretur solvi interesse alterius interesse, sed diceretur semper solvi capitale, sicque longè abest *Anatocismus*; sed hæc omnia concurrunt in commercio cambii: nam qui negotiatur in cambiis ipso actu damnum sentit, quod semper præsupponendum est, quia aliàs frustra tractaretur de convertendo Interesse in capitale, si non extat. Interesse quod quis passus est: item interesse est certum & liquidum, quia in quolibet plerumque forò imponitur pretium pro cambiis: & cambium sui natura, misis literis cum solita dilatione nundinarum, & locorum extinguitur & potest renovari, quare multorum annorum fructibus certis non solutis nulla ratio prohibet constitui aliquod capitale fructiferum ut scripsit *Scacc. d. tr. §. 7. glosf. 2. n. 32. & seqq.* Quod confirmat *Munoz de Escobar de Ratiociniis administ. c. 15. n. 27.* dicens: *Morosum Debitorem solito negotiari non solum teneri de interesse simpliciter sed etiam de Interesse cujuslibet feræ & ad interesse etiam alterius Interesse.*


XI. Non extenditur *Anatocismus* ad casum quò fictione brevis manus cessante usuræ Creditori soluta quas Creditor aliò modo sive eidem debitori, sive tertio alicui mutuo dederit, & hac ratione principale Debitum constituerit. Quo minus enim usuras à Debitore meo mihi solutas, utpote veram sortem, vel ipsi vicissim, vel alii sub usuris iterum credere queam, nulla extat prohibitio. Sic Tutor aut Curator quam usuram exegit à Debitore pupilli vel adulti in suos converterit usus hujus summæ usuras præstabit *l. Tutor. 7. §. 12. l. qui negotiationem 58. §. ex duobus 1. in fin. & §. ult. D. d. Adm. Tut.* Item si usuræ pecuniæ pupillaris, quas Tutor debuit transferantur in Curatorem *d. §. ult. Wesenb. consil. 72.* Si vero mutatio personæ deficiat, ut si Tutor pupilli Debitor fuerit, nec à seipso exegerit, usuras quidem debebit, sed non convertuntur in sortem nec usuræ usuræ in nullam sortem redactæ dare tenebitur *Carpz. I. F. p. 2. Const. 30. def. 32.* Tenetur tamen à tempore quo fuit in mora restituendorum reliquorum in quibus usuræ continentur *Munnoz. de Escobar. d. tract.*


erat. § c. n. 30. Occurrunt quoque exempla in *Procuratore & negotiorum gestore* usuras nomine principalis & Domini percipientibus *l. idemq; 10. §. Si procurator π. Mandat:* nec non in annuis redditibus debito tempore non exsolutis interesse ob moram petitur, quia isti annui redditus per se principaliter & non accessoriè ad principale debentur *Gail. 2. o. 7. n. 6.* Ideo quoq; licet annuos redditus emere, nec Contractus de iis initus impietatis & usurarii sceleris argui potest, quia Usufructum pecunia emere vel etiam aliis modis constituere possumus *l. necessariò §. ult. π. d. peric. & Comm. rei vend. l. 3. π. d. Usufr.* E. etiam Contractu redditus annui tanquam pars usufructus constitui queunt. Sed in hoc Contractu neque verum mutuum, neque aliquod ex interpretatione intervenit, in mutuo siquidem cogitur quis sortem solvere: at in hoc Contractu Venditor, qui redditum annuum constituit nusquam cogitur sortem reddere. Item in mutuo sub usuris est principalis obligatio ad sortem & accessoria ad usuras: in hoc vero Contractu est principalis obligatio ad annuam pensionem non ad sortem, quamquam hæc annua pensio si non solvatur citra vitium anatocismi sortis locum occupet. *Covarr. var. Resol. Lib. 3. c. 7. n. 3.*


XII. Anatocismus tanquam improba coercitio infamia notatur *l. 20. C. Ex quib. Caus. infam. irr. Don. 18. Com. 7.* item pro qualitate delicti non quidem coercitio extraordinaria *reliquis Constitutionibus* est expressa, est tamen sancitum ut quod quis ultra modum legitimum exegerit vel imputare sorti vel restituere Debitori debeat *l. si non sortem 26. D. d. Usur. l. eos 26. §. Si quis l. ut. nullo. 28. cod.* Possunt tamen prædictæ poenæ se subtrahere, qui usuras usuræ in sortem redactæ stipulati sunt si usuras tantum legitimas petant. *Zepp. d. l. ubi subicit plures doctores qui de hac scripserunt materia,* sed eos potius prædictam Anatocismi materiam attigisse quam pertrahasse extra omnem est controversiam. Prohibitio Anatocismi quocunque Nos convertimus obtinet & non tantum in *Germaniâ & Prussia* resonare videtur secundum *Constit. Imp. Ann. 1500. sub Titulo von Wucherlichen Contracten. Reform. Stat. Polit. in Comitibus Aug. Ann. 1530. P. N. l. 4. t. 2.* Sed etiam *Gallia Hispania &* aliis Regnis resonat, imò etiam à *Turcis* cum *Codice Justin.* eam esse receptam probabiliter defendi potest, quia *C. J. utuntur uti* authore *Leuncl. scribit H. Trentl. V. 1. D. 1.*

θ. 5. lit. A.

⦿) : (0) : (⦿)









AC CARCERES IN CAUSA DEBITI

sonalis arresti gratia secessionem fecerit eum in cambiale usu vel lege *haud inuictum*; nihilo valide cambialiter conveniri posse, docet BEI For. Tit. V. 3. n. 4. p. 137. Conf. BARTH. Ho IV. §. 4. p. m. 833.


8) In litteris cambii *non requiritur jam facta de excussio* jure Saxonico et aliorum locorum leg cambium et pactum obligationis ad carcerem c xonia.

9) In iisdem igitur *nec bonorum cessio* liberat a ca Conf. b. ABR. KAESTNERI disp. *de obligatione causa debiti*. Lips. hab. 1723. et V. C. IOH. FRI de pecunia mutuatia tuto collocanda. Cap. III jus autor exquisitoria tradit, quam inscripti promittit.

§. CXVIII.

Obligatio ad *obstadium* etiam ab obligatione d rem est diversa. Illa enim, nomine ante diem nei bitor interpellatus *diversorium publicum ingredi*, in fere, donec creditori satisfecerit, obstringitur. Q cum designatum *haud ingreditur*, per sententiam ob gitur et quidem cum comminatione poenae *des Schu* tenia ita habet: *Ist beklagter also fort nach Insin nach den öffentlichen Gast-Hof N. zubegeben und das gestellte Einlager zu halten schuldig, mit der Com dem nicht also nachkommen wird, daß auf den fall des Schuld-Thurm ietzt alsdann und dann als ietzt g auf fernar gegen ihn ernstlich verfabren werden soll.* obstadium hodiernum in terris *Sleswico-Holsaticis*, Ha re constat. CAROLUS V. Imp. litteris civitati *Gelnhaus* bus *Spirensibus* an. 1349. datis se ipse ad obstadium

K 3



77

us
ibi
sc.
ap.
um
em
Sa-
m.
ex
m.
ru-
ste

ce-
de-
offi-
lo-
un-
en-
sch
or-
er
ffe
ar-
ad
ne-
vi-
id.
Ex-